

æui forsitã Romana fœlicitas fuisset, nec hostili vrbe ferro flammisque consumpta, ipsa tam breui post tempore, non armis, sed vitiis propellentibus corruisset, pace bellorum gloriam inquinante, atque orbem domitum vendicante luxuria. Et hoc quidem de moderatore terrarum ac Principe nationum populo: nunc de Illustribus populi eius viris, ab aliis itidem, quæ præclaris coniecturibus præuisa sint referam: à Cæsaribus incipiens, quibus nihil occurrit hac in vrbe sublimius, in hac quoque tanta rerum altitudine, quia de longinquo cernenti, supremus omnium primum mihi vertex ostenditur, ille mihi stilo etiam præferendus est.

L. SVLLA.

Iulius Cæsar futurus rerum Dominus, ad illud Principatus fastigium, immò verò ad cœlum, opinione hominum peruenturus, quippe

*Imperium Oceano famã qui terminet astris,
vt Virgilius ait,*

Ipse is inquam, vt Mundus agnosceret, nihil non licere fortunæ, inopem, atque sollicitam & inquietam egit adolescētiam, Persequente eum L. Sulla, qui tunc e-